

Incisus ferro truncis mansuescit amico ,
 Educitque novas frondes , & cerea pruna .
 Non jaculo , non ille vetat certare sagitta .
 At tereti calami , meliorem & cuspidis usum
 Extudit æratæ , quo non oculusque , manusque
 Se tantum , ast una & mentis vigor , atque feracis
 Ingenii dives pariter se copia prodat .

Fas , ait , egregias animas , quæ carmine culto
 Hoc decus , & famam solida virtute perennem
 Arcadico peperere solo , quos extulit ipse
 Hinc pater ætherei stellatum ad culmen Olympi
 Avectos curru Phæbus , cœloque locavit ;
 Fas merito , o pueri , memores celebremus honore :
 Fas oculis redeant rapti licet , altaque ad imas
 Atq; iterum , atque iterum mentes exempla recurrent .
 Ite ergo , & notos jaculis effugite vultus .
 Siquis amat duro extantes educere saxo ;
 Præstringat calatum , pro scalpro ferrea teli
 Cuspis erit ; buxus si molior , atque cupressus .
 Arridet magis ; oblonga disjungere fibras ,
 Atque secare acie , & poterit perradere fætas .
 Cerata in tabula , viridive in cortice si quis
 Maluerit tenui formas incidere sulco ;
 Ille stylo tenuem , qua cuspis acuta , sagittam
 Substiuat , tractetque agilis . Demum ora colore
 Qui vario , & cultum mentiri malit agrestem ,
 Is , calamo qua pluma levis defigier imo
 Asolet , & tremuli zephyros agitare susurro ,
 Aut apri fetas , aut crinem adstringat equinum :
 His poterit mixtos per telam ducere fucos .
 Fistula , pastorale pedum , & Parnassia laurus
 Prodant Arcadicos insignia nota colonos .
 At variis , quæ cuique petit laus debita , signis
 Et decora , & mores , & grandia facta notentur ,
 Hæc animo sibi quisque suo configat , & omnes
 Exerat ingenii vires , mentisque vigorem